MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (PARS I: 1.1. 14.2.)

Melk, 1. Hälfte 13. Jh.   Seite 160v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=8999
Copyright: Melk, Benediktinerstift

iam in igne sancti constitutis. et pater non deesset. et filius subueniret. et spiritus sanctus in medio ignis am
bularet. Cumque exuste fuissent fasciole a quibus manus eorum fuerant colligate, orationi diui
ne et solite consuetudinis memores gaudentes, positis genibus de resurrectione securi, insig
no trophee constituti dominum deprecabantur. Post hec solita domini non defuere magnalia, apertumque ce
lum uidentibus babila et migdonio fratribus nostris ex familia emiliani presidis, qui erant eidem emi
liani domini eorum carnalis, ostendebatur fructuosum cum diaconibus suis adhuc stipitibus quibus
ligati fuerant permanentibus, celum ascendisse coronatos. Cumque emilianum uocarent dicen
tes. ueni et uide quos hodie dampnasti, quemadmodum in celo spei sue constituti sunt. Emilian[us]
cum uenisset uidere eos, non fuit dignus uidere. Fratres autem tristes. uelut sine pastore sol
licitudinem sustinebant. quod non dolerent fructuosum. sed desiderarent, unus quisque fidei
et agonis sui memores. Superueniente autem nocte ad amphiteatrum cum uino festinanter
peruenerunt, ut semiusta corpora extinguerent. Quo facto, eorundem martyrum cineres collec
tos. prout quisque potuit uendicauit. Sed nec in hoc domini et saluatoris nostri defuere magnalia,
ut credentibus fides augeretur. et paruulis monstraretur exemplum. Oportebat enim fructuo
sum martyrem. quod in seculo per misericordiam dei docendo promiserat, et iam dominum et saluatorem in sua passi
one et resurrectione carnis comprobare. Igitur post passionem apparuit fratribus et monuit. ut quod unusquisque per
caritatem de cineribus usurpauerat. restituerent sine mora. Sed etiam emiliano qui eos
dampnauerat fructuosus ostendit se pariter cum diaconibus suis in stolis permissionis,
increpans pariter et insultans se nichil profuisse, quod frustra exutos a corpore in terra cre
deret futuros, quos cerneret gloriosos. O beati martyres igne probati sicut aurum preciosum. uestiti
lorica fidei et galea salutis, qui coronati sunt diademate et corona immarcescibili eo quod
diaboli caput calcauerint. O beati martyres. qui meruerunt dignam habitationem in celis. ad
dexteram stantes Christi. benedicentes dominum patrem omnipotentem. et dominum nostrum ihesum christum uni
genitum filium eius cum spiritu sancto, cui regnum sine fine permanet in secula seculorum amen. Sancti Ascle martyris.

In illo tempore. Veniente ab ermopoli ciuitate arriano preside. oblatus est quidam frater nomine
asclas. Quem cum uidisset iudex. dixit ad officium. Quis est hic apollonide? Unus ex officiali
bus dixit. Puto christianus est. Dicit ei preses. Interroga ipsum. et dicat quis est. Respondit ei asclas.
Ego christianus sum. Dicit ei preses. Et non audiuisti tu que inuictissimi imperatores per omnes prouin
cias decreta aduersum christianos dixerunt. ut cogantur diis sacrificare? Asclas dixit. Audi
ui inquit que ad multorum scandalum iusserunt. Preses dixit. Et usque ad regum contumelias progrederis.
ut sacratissimas et salutiferas eorum leges scandalum uoces? Asclas dixit. Fac quod uis. ego enim
leges nescio esse. nisi que legitime et ad utilitatem communem. non ad priuatam libidinem
proferuntur. Nam qualis lex dicere est adora ydolum? Ait preses. Non tibi sufficiebat impera
toribus derogasse. insuper et deos ydola uocas? Iuro per ipsam diuinitatem quia nisi eos confessus fu
eris esse deos atque his sacra persolueris. senties non obtemperantibus parata supplicia. Respondit
asclas. Non timeo quod minaris. maior mihi formido est illum contempnere. qui dixit.
Nolite timere eos qui occidunt corpus. animam autem non possunt occidere. sed potius time
te eum qui potest et animam et corpus simul perdere in gehennam. Deus ergo timendus est qui et in
tegrum hominem potest et perpetuo cruciare non uos qui ex parte nec semper. Arrianus preses dixit.